VERVS MARTINI LVTHERI TRIVMPHVS.

Contra Thrasonicum eiusdem Triumphum, à quodam Lutherano confictum, Anno Domini, Millesimo, Quingentesimo, Sexagesimo Octauo.

Ab Illustriss: & Reuerendiss: piæ memoriæ IOANNE DEMETRIO SOLIKOWSKI, Archiepiscopo Leopolień, olim conscriptus, nunc verò in lucem editus.

Opera & studio MATTHIÆ SISINII, S. Theologiæ Doctoris, C. S.

Memoria iusti cum laudibus, & nomen impiorum putrescet. Prouerb: x.

CRACOVIÆ,
In Officina Andreæ Petricouij.
Anno Domini, 1604.

IN ARMA

Illuſtris & Reuerendiſſ: Dñi,

D. SIMONIS RVDNICKI,

Maioris Regni Secretarij, Cuſtodis Gneſneñ, Canonici Cracouieñ, &c. &c.



Quid geminata notat celeri crux tecta ſagitta?
Maiorum robur cum pietate ſimul.
Iuuerunt illi Patriæ rem grandibus auſis,
Hos inter pulchra tu pietate nites.

Illvstri et Reverendis: Domino, D. Simoni Rvdnicki, Regni Secretario Maiori, Cvstodi Gnesnensi, Canonico Cracovien. &c.&c. Domino colendiſsimo.

Matthias Sisinivs, S. Theol: Doctor, Felicitatem.

ANNVS iam ſextus & trigeſimus labitur Ill. & R̃ndiſs: Dñe, cùm quidam è ludo & officina Martini Lutheri, non minùs faſtuoſum quàm falſum præceptoris ſui maximi impoſtoris, ob neſcio quæ ipſius in Rempub. Chriſtianam merita, triumphum conſcripſit, & in lucem edidit. Nam quis vnquam improbiſsimi & periuriſsimi illius Apoſtatæ triumphus verus eſſe potuit? quæ ille pro bono communi bella ſuſcepit? quæ ſpolia ex hoſtibus Reipub. Chriſtianę retulit? Meruit equidem Martinus Lutherus, ſed non de Chriſti Eccleſia, cuius auctoritatem contempſit, vnitatem lacerauit, pacem turbauit, ritus & cerimonias

irrisit, leges conculcauit, Sacramenta alia explosit, alia mutauit. Meruit, sed non de ciuitatibus & Rebuspublicis Christianis, in quarum plerasq; horribilem & execrandam confusionem atque ἀταξίαν inuexit: non de Regibus & Principibus Catholicis, quos potestate, nō temerè, non à diabolo, vt ipse iactabat, sed Dei prouidentia, vt ait S. Irenæus, ordinata, quantùm in se erat, spoliauit: non de aliis quibuscunq; Magistratibus, quibus gladium diuinitus datum ad vindictam malorum, laudem verò bonorum, ausus est de manibus extorquere: non de subiectis populis, quos Dominorum suorum ceruicibus imposuit, & in funestā aciem aduersus eos iteratò adduxit. Meruit ille, at non de Sanctorum hominum in cœlo iam vitam beatam agentium ordinibus, quos inde omnibus linguæ suæ telis conatus est exturbare: non de ipsorum & nostro capite Christo IESV vero Dei Filio, cuius corpus & omnia ipsius membra indignissimè tractauit. Quid ergo? meruit perfidus Apostata, de patre omnis mēdacij Sathana, cum quo multos modios salis comedit, cuius gregi multa millia animarum addixit. Suscepit certamen, pro improbitate, contra virtutem:

tutem:

tutem: pro licentia & impunitate, contra legum disciplinam: pro carne, contra ſpiritum: pro falſitate, contra veritatem: pro noua & inani fiducia, contra antiquam & ſolidā à Chriſto & Apoſtolis ad nos vſq; propagatam fidem. Vicit inſanus ille Saxo, pudorem, libidine: Dei hominūq; timorem, audacia: rationem, amentia: honeſtatem, turpitudine: pietatem, ſcelere: conſtantiā, furore: æquitatem, temperantiam, fortitudinem, prudentiam, virtutes omnes, iniquitate, luxuria, ignauia, temeritate, vitiis omnibus. His monſtrum illud informe beneficiis ſocietatem humanam affecit, huiuſmodi prælia & certamina ſuſcepit: attamen tanquam re bene & feliciter geſta, perditus homo pleno ore impuri veteratoris in cælum fertur. Non tulit hanc tantam impudentiam magnū illud Leopolieñ Eccleſię lumen, IOANNES DEMETRIVS SOLIKOWSKI, pro eo ac erat iniuriarum Chriſti & Eccleſiæ zelator admirabilis, qui interea dum iſte triumphat, Regiomonti Boruſsiæ negotia patriæ ſibi cōmiſſa curabat. itaque adoleſcens annos octo & viginti circiter natus, non tam pòetico quàm diuino percitus ſpiritu, illi ex mendaciis conflato trium-

 pho ve-

pho verum oppoſuit. Cæterùm, vt erat modeſtiſsimi ſemper ingenij, operam hanc ſuam celabat. Ego verò, illo ex mortalitate ad immortalitatem ſublato, cùm in verſus tam elegantes, tam perpolitos, tam graues & vtiles incidiſſem, tantum in illa ætate magni illius Antiſtitis pro domo Dei zelum admiratus, ſtatim ab iis in quorũ erant poteſtate petij, vt mihi eos in publicum proferre liceret. Quare annuentibus atq; concedentibus ipſis, mittuntur à me, aut potius ſuapte ſponte prodeunt in conſpectũ tuum Ill. & Rñdiſs: Dñe. Libertatẽ adeundi fecit magna inprimis ſcriptoris auctoritas, tum eiuſdem non mediocris tecũ morum & ſtudiorum ſimilitudo, & arcta, quæ inde coaluit, animi coniunctio, atq; inſignis tua erga virtutis & literarum alumnos propẽſio. Ac vir quidem ille, cuius verſus ad te veniunt, qualis quãtuſq́; fuerit, teſtis ſit hæc ampliſsima Reſpub. cui quatuor & viginti legationibus ad exteros & potentiſsimos Reges atq; Principes obitis, induſtriam, fidem, prudẽtiam, cæteraſq́; diuinas animi dotes, luculenter probauit; quam non tãtum ſuis atque ſuorum fortunis omnibus, ſed vita etiam ipſa cariorem ſemper habebat. Cum hoc tanto viro

to viro, non oris & vultus, ſed vitæ & actionum permagna tibi ſimilitudo fuit. Etenim eorũ trium officiorũ, quæ tu vnus nõ minori fide, quàm dexteritate nunc adminiſtras, vnum ille quondam pari laude ſuſtinuit. Semper ille iam inde à prima ætate, in actu & labore; quodq; ſibi à Pontificiis Senatoriisq; functionibus ſuperabat otii, totum id aut diuinarum rerum contemplationi, aut lectioni, aut ſcriptioni tribuebat; tu verò, amplius iam quàm viginti annos, in magnis Regum & Reipub. negotiis ſtrenuè duras. Non ille mercedẽ niſi ſempiternã pro laboribus ſuis, fideliter pro Repub. exãtlatis quærebat: hęc eadem apud te pro aurea meſſe nunquã eſt habita. Non iuſtificabat ille impiũ pro muneribus, nec iuſtitiã iuſti auferebat ab eo: & tibi hãc laudem quis audeat aut poſsit iure merito detrahere? Reddiderat ille ſe omnibus humanitate & comitate perpetua iucundũ, ſanctitate vitę & pietate non minus venerandũ: & tu eiſdem virtutibus quotidie te ipſum ſuperas. Miſericordia & beneficẽtia erga indigentes tam effuſa fuit, vt credibile mihi quidẽ videatur, mediocres ipſius reditus ad vſum tãtæ liberalitatis, diuinitus, vt aliquando farina &

oleum

oleum illud Sarepthanæ viduæ, auctos interdum fuisse: sed & tu nunquam munificam manũ subtrahis ab inope. quis enim tuam vnquam opẽ implorauit & tristis discessit? Virtutẽ ille & doctrinam, in iis etiam quos nunquam viderat amabat, quos autem præsentes habebat mirificè complectebatur & ornabat, eorumq́; cõsuetudine nihil illi fuit iucundius: & tu istius laudis cum ipso societatem habes. Probant id vbertim multi optimi & doctissimi viri, quos vnicè diligis; probaui & ego literarũ amicus, cui tu ante annos aliquot, cùm in aula magni illius & immortali memoria atq; prædicatione digni Cardinalis RADZIVILI adolescentiam meam agerem, varia humanitatis & bonæ gratiæ argumenta affatim exhibuisti. En quàm dulcis vestrarum vtriusq; virtutũ harmonia, quàm iucundus morum cõcentus, quàm concinna in omnibus vitæ similitudo. Ex hac nimirum emanauit tanta inter vos mutua voluntatum cõsensio. Et tu quidem quo studio & voluntate erga virum illum fueris, liquet ex eo affectu, quem consanguineis ipsius etiam nunc quauis data occasione clarè testaris. ille autem eximiis animi tui dotibus ita affectus fuit, vt tibi

post fa-

post fata sua, eius in qua vigilantissimè sedebat Cathedræ, nisi aliò Deus vocaret, toto animo exoptauerit successionem. Eius igitur tam magni, tamq; magna tibi necessitudine coniuncti viri versus ab ingenti erga religionem Christianam profectos affectu, quorum veritatem egregius nostri æui scriptor Laurentius Surius cõprobat, accipe quæso Ill. & R^mñ diss: Dñe, illo quo semper fueras erga superstitem animo; placeant, non quia à me oblati, sed quia à tanto viro elucubrati. Solent talium etiam minutula quæq; monumenta, magni esse apud æquos æstimatores momẽti. Hinc Protei Philosophi baculum talento, & Epicteti Stoici fictilem lucernã, ter mille drachmis, venisse accepimus. Sed non est quòd multis operã admirandi illius senis apud te prædicẽ: satis est dixisse, ipse scripsit: cui Dominus iustus iudex labores omnes pro Ecclesia sua susceptos, præmiis cõpenset sempiternis: tibi verò annũ hunc quem ingressi sumus, felicem esse velit, aliosq; consequentes quàm plurimos ex voto proroget. Crac. 4. Non: Ianuarij.

Anno Domini, 1604.

AD MANES
ILLVSTRISS: AC REVERENDISS:
IOANNIS DEMETRII SOLIKOWSKI,
Archiepiſcopi Leopolieñ.

DEMETRI SOLICOVIORVM ocelle,
Quàm ciuis Patriæ bonus fuiſti,
Agnoſcit reor orba. quàm Senator
Prudens, veridicusq́, diligensq́
Libertatis, honoris, ac honeſti,
Priuato integer à cupidine, ipſis
Contentus meritis, perenniumq́
Spe poſt vltima fata præmiorum;
Agnoſcunt, quibus haud vorat malignum
Pectus liuor, & approbant probanda.
Quàm verbis bonus actibusq́ paſtor
Commiſsi gregis, ipſe ſi negârit,
At muti lapides pro eo loquentur.
Quàm diues ſapientiæ, ingeniq́,
Teſtantur tua multa ſcripta abundè,
Nec ornata minùs, nimisq́ docta.
Aſt quàm VIR BONVS ET PROBVS *fuiſti,*
Et quantus tibi cor coquebat imum
Zelus, relligione pro vetuſta,
Hi pandunt ſatis vſquequaque verſus;
Legendi, & quibus allubeſcit ille
Quinti Euangelii architectus, atrox
Noſtri æui macula ac lues Lutherus. *M. S.*

VERVS MARTINI LVTHERI TRIVMPHVS.

Contra Thrasonicum eiusdem triumphum, à quodam Lutherano confictum, Anno Millesimo, quingentesimo, sexagesimo octauo.

ERgo Triumphator rursum reuocaris ab Orco,
Nec tua crasse silet rabies post fata Luthere, Libido.
Quà quondam libuit terras cœlumq́; profundum,
Propter inauditæ miscere libidinis æstus?
Ergo triumphas?
Quòd violare fidem Monachi votumq́; licebat, Votum fractum.
Nec te maiestas legum, nec Numinis horror,
Nec Patrum integritas, numerus, concordia mouit,
Quin contra faceres hæc omnia turpiter audax.
Ergo triumphas?
Quòd pax quam multis, felix Ecclesia, seclis
Obtinuit, cultuq́; Dei concorditer vsa, Pax Ecclesiæ rupta.
Est manibus concerpta tuis laceratáq́; dente,
Et iam fecisti plena omnia seditionum.
Ergo triumphas?

Confusio inuecta.

Quòd per te inuecta est plusquàm Babylonica rerum
Colluuies, miseriq; grauis confusio secli;
Non iam discrimen rerum, non amplius ordo
Vllus adest, sed triste chaos tetrumq; barathrum
Ergo triumphas?

Germania bellis ardens.

Quòdq; potens opibus per te Germania vires
Amisit malesana suas, dum bella cruento
Marte cient crudi fraterna in viscera fratres;
Iamq; propè hæc orbem vastant incendia totum.
Ergo triumphas?

Rustici rebelles.

Quòd per te atque tuos gens rustica facta rebellis
Principibus propriis, furiosa assumpserat arma,
Et bis pro meritis, meritis cum auctoribus, vltrà
Quàm spes omnis erat, miseranda strage perempta est.
Ergo triumphas?

Duces rebelles.

Quòdq; duces Aquilis, sceptro imperijq; rebelles,
More Giganteo mouerunt irrita magno
Bella Ioui; quos, vt melior sententia, vicit,
Vicerunt Aquilæ, victos vinctosq; tenebant.
Ergo triumphas?

Gallia ciuili bello propè euersa.

Gallia inundauit quòd multo sanguine, quondam
Regnum opibus florens, quòd tot periêre nefando
Ensè sacerdotes, sed & vnus imagine Christi
Auulsâ, in furca moritur crucifixus eadem.
Ergo triumphas?

Quòd

Quòd qui connixus sumptis dux Condeus armis
Regi inferre suo bellum, fanisq́ profanas
Sacrilegasq́ manus, magna nunc clade suorum
Accepta, cæsus nigri tenet atria Ditis.
Ergo triumphas?

Condeus occisus.

Anglia te nouit, toto hîc celebraberis æuo,
Rex ibi, luce tua plenus, de coniuge sumpsit
Supplicium; delubra Dei spoliata, sacriq́
Pontifices Getico & Monachi moriuntur ab ense.
Ergo triumphas?

Anglicanæ cædes.

Quòd sacra templa ruunt conuulsa à sedibus imis,
Et tres Prußiacæ in proprium quoq; nequiter vrbes
Vno penè die ceperunt arma Senatum,
Post pœnas mota de seditione dederunt.
Ergo triumphas?

Templorum euersio, seditio Prussica.

Scotica quòd proprium Regem plebs carcere fœdo
Multis ante modis, veteri pro relligione,
Indignè affectum, clausit, Flandriq́ feroces
Necquicquam in magnum conspirauere Philippum.
Ergo triumphas?

Seditio Scotica bella Flãdriæ.

Quòd per te pietas, reuerentia, cura pudoris
Virginei cecidit, vitiis certare decorum est,
Qui verè velit esse pius simulare putatur:
Sic Athei sunt penè tuo de dogmate nati.
Ergo triumphas?

Virtutum Christianarum iactura.

Quòd, per te infelix, fœcunda licentia creuit,
Licentia. Atque omni scelerum generi patefacta fenestra est,
Ut neque barbaries iam sit tàm barbara, quam non
Exuperes gradibus multis monstrose Luthere.
Ergo triumphas?
Regula quòd per te morum vitæq; magistra,
Disciplina laxata. Sanctorum Patrum bona disciplina repulsa est;
Illa pios fidosq; Deo in statione tenebat,
Illa malos frugem ad meliorem sæpè vocabat.
Ergo triumphas?
Dilectio extincta. Quòd per te Christo fidi dilectio cætus
Refrixit, magni iussu retinenda Magistri,
Ut tibi nulla fuit (quoniam tibi si qua fuisset
Non nos desereres) sic & te nulla sequutis.
Ergo triumphas?
In certamine de Missa victus Lutherus à Sathana. Quòd dum cum Sathana tibi res fuit, ipse fateris,
De Missa, victus rationibus illius, ipsam
Deseris, vtque tibi poterat nil dicere veri,
Vincere quem tu non poteras, te vicerat ille.
Ergo triumphas?
Vnitas dissipata. Unus si Deus est, sique vnus Filius eius,
Spiritus amborum vnus, si vna Ecclesia, si vnum
Est verbum, vna fides, quæ te vesania mouit,
Ut tu eadem solus partes in mille secares?
Ergo triumphas?

An quia

An quia viuenti ſpargentiq́ ore venena
Credidimus nunquam, credis poſt impia fata
Quòd tibi credemus? nunquam perſuaſeris vlli,
Mortuus vt plus iam poßis quàm in corpore viuus.
Ergo triumphas?
Quòd per te varij variisq́ erroribus acti, Soboles Lutheri diſcors.
Tecum & ſecum diſcordes, putredine nati
Viſceribusq́ tuis, conſurrexêre Prophetæ;
Et iam ſe meritò partes in mille ſecarunt.
Ergo triumphas?
Ante Euangelium quintum quòd Turca remotus Turca propinquat.
A nobis fuerat longis regionibus, at nunc
Poſt iſtud verbum noſtro vicinior orbi,
Viſcereq́ in noſtro propè iam ſua caſtra locauit.
Ergo triumphas?
Quòd tua tot fructus peperit monſtroſa libido,
Carnea relligio, pietas atq; ebria, quot nunc
Non oculis tantùm capimus, ſed penè tenemus Carnea relligio.
Jam plenis manibus, tot ſcandala, damna, ruinas.
Ergo triumphas?

Ergo triumphator qualis ſit diſce Lutherus,
Ex hoc, qui ad viuum illuſtrat ſua facta, triumpho:
Vt nihil is viuus fuerat quàm lurida peſtis
Mundi infelicis, toti ſic mortuus orbi

Perge-

Per genitos post se quid contulit ille prophetas,
Clarius est quàm quod multis exponere verbis
Id sit opus. Vafri Sathanæ cognoscite quæso
Insidias, teretesq; plagas, scopulosq; latentes,
Propositumq; scopum. Non nos maledicimus vlli,
Sed verum semper vobis prædicimus, atque
Hac tanta iactura animarum ex corde dolemus.
Nil nisi vera caro, nil est nisi fætor in illis,
Nil nisi spurcicies, furor, execranda tyrannis,
Qui semel auulsi sunt vno à corpore Christi.
Ergo Christicolæ si qua vos cura salutis
Distinet, obsecro & moneo, maneatis in vno
Sub pastore vno, quod & ipse gubernat, ouili.

Ad Lutherum & Lutheranos Apostrophe.

Sentísne gloriose
Athleta, de tenacis
Orci abdito recessu,
Dignū hūc tuis triumphū
Ausisq; præliisq; ?
Videsne damna per te
Immissa Christiano
Orbi ? vides, dolesq;,
Sed irrito atque sero
Nixu : tuis piaclis
Nullæ sat eluendis
Iam lacrimæ esse possunt.
At ô misella turba
Falsi sequax Prophetæ,
Dum pœnitere prodest,
Ad cor redi, perennem
Vt agas polo triumphum.

M. S.

Libuit hoc loco adiungere duo quædam his consona Martini Lutheri elogia, ab ANDREA FRVSIO Societatis IESV scripta.

De Martini Lutheri vita & morte.

O Felix Martine, tuis vt consona votis
Cuncta cadunt: viuens quod cupis, hoc & habes.
Temporibus nostris vis hæresiarcha timeri,
Peior & antiquis omnibus, hoc & habes.
Ambitione flagrans, sacro nec honore potitus,
Vis auctor fieri schismatis, hoc & habes.
Vis fugere ex humili discinctus Apostata claustro,
Barbaricisq; coli gentibus, hoc & habes.
Vlcisci vis Pontificem, Clerumq; malignis
Prodere spernendum fraudibus, hoc & habes.
Vis vt nulla tibi lex imperet atque potestas,
Sisq; iugo excusso Belial, hoc & habes.
Vis placitos fœdæ satiare libidinis æstus,
Sacrilegisq; frui nexibus, hoc & habes.
Vis esca potuq; gulam cum ventre repleri,
Tale Dei ac regnum si foret, hoc & habes.
Vis tua vt eructet doctrinam crapula falsam,
Quæ pro lege Dei pullulet, hoc & habes.
Vis sacra, vis sanctos adeò pessundare ritus,
Vt commenta hominum quis putet, hoc & habes.

Vis etiam in Diuos blasphemas spargere voces,
Ne sit honos illis debitus, hoc & habes.
Vis credi non esse locum post funera manes
Purgantem, populus ne iuuet, hoc & habes.
Inferni vis esse tamen (sed iam scio nolles)
Supplicium dirum sontibus, hoc & habes.
Infelix Martine tuis nunc dissona votis
Cuncta cadunt; quod vis mortuus, hoc nec habes.
Errores reuocare satos, & crimina velles
Expurgare modis omnibus, hoc nec habes.
Iam non esse Deum velles, aut posse repelli,
Ne te pro meritis puniat, hoc nec habes.
Perpetuis saltem mersum non viuere pœnis
Atque mori velles, hoc & habes, nec habes.
Et quia plus cruciat, quod vis non posse, perire
Velle tuum velles, hoc & habes, nec habes.
Denique velle tuum vt culpæ sic regula pœnæ est,
Quod non vis, & vis: hoc & habes, nec habes.

In eius Iactantiam.

TE seruum Domino vocas fidelem,
Qui sponsam illius vnicam columbam,
Vita ipsa quoque nempe cariorem,
Ausu contemerare vis nefando?
Te seruum Domino voca infidelem,
Aut hostem magis, atque proditorem.
Quò Iudas minùs execrabilis sit.
Sed quo nomine vis fidelis esse?

An Chri-

An Christo quia gloriam parasse,
Multa fraude videris ampliorem,
Damnatis meritis, piisq; rebus?
Electis quasi pauculis salutem
Inuitis etiam det, atque firmet
Nulla ob crimina prorsus auferendam?
Cunctis at reliquis pyræ perennis
Diram constituat necessitatem,
Ut monstret sibi quanta sit potestas?
His Luthere modis Deo atque Christo,
Laudem scilicet addis ampliorem,
Qualem nec sibi vindicauit unquam,
Unquam nec sibi conuenire duxit.
O seruum Domino nimis fidelem.